

Sbd

E libris
gymnasio Mauritano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

AVSPICIIS DIVINIS
SERENISSIMIOVE PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
FRIDERICI ANTONII
PRINCIPIS SCHWARTZBURGI REL.

PATRIS PATRIAE ET MUSAGETAE
NOSTRI OPTIMI LONGEQ. INDVLGENTISSIMI
ADEXAMEN PVBLICVM BRVMALE
ET ORATIONES OCTO PER ILLVD

d. XXII et XXIII SEPTEMBR. cl. l. cc. xxxii

DE CELEBRATISSIMA HVIVS TEMPORIS
SALISBURGENSIVM EVANGELICORVM
QVOS VOCANT EMIGRATIONE

PVBLICE RECITANDAS
PERILL. EXCELL. PRAENOBILISS. CONSVLTISS.
MAGNIF. SVMME REVER. AMPLISSIMOS DOCTISS. RERVVM
SCHOLASTICARVM CVRAM GERENTES, PROCERES, PATRONOS,
FAVTORESQVE NOSTROS, OMNESQ. ALIOS, NOBIS BONISQVE
LITTERIS CVPIENTES

QVO DECET CVLTV STUDIOQVE
INVITAT
IOANNES GOTTHELF ROSA
RECTOR.

RVDOLPHOPOLI
AERE LOEVVIANO.

1732, 18 Sept.

AK





Uae nostram hanc aetatem, si quid aliud, in primis illustrat, memorabilemque posteritati reddit, Salisburgensium, euangelicam veritatem, qualis a Lutero suae puritati restituta est, confitentium et libere profitentium, ex patria in Borussia demigratio non vno omnino modo affectit, sed, quod fieri solet, alios aliter tetigit, quos plane non commouerit, paucissimos fuisse dixerim, eosque aut plane stipites et truncos, aut ita profanos mente, et ad rerum humanarum vanitatem affixos, vt ad coelestia vel ocularum atrosleren non possint. Qui enim vel vltimam pietatis rectique sensum habent, siue homines illos intuerentur, siue causam, quantum eius perceperunt, considerarent, mox admiratio eorum ingens, mox dolor, mox amor animos incescit; multi rubore suffusi, tacite arguentia. Illorum pietas nostram improbitatem, orandi audiendique diuinis sermones ardor nostram segnitiam et negligentiam, mutuos eorum amor et cultus nostra diffidia, odia et inuidiam, simplicitas prisca illa, et antiqua fides, nostram versutum et vanitatem, patientiam leuitatem et incontinentiam, quid multa? bona et recta sanctaque mens, ex mira quadam morum innocentia emicans, nostram nobis peruersitatem exprobrabat. Missi (a) ad nos diuinitus non tam hospites, communis fidei nomine benigne liberaliterque excipiendi, quam magistri melioris animi et vitae videri poterant. Subiit optare, vt nostro populo nonnulli admiscerentur: sed illico dubium fuit, an inde sperare nostrorum emendationem liceat, non illorum potius corruptionem et offensionem metuere: Talem olim gentem Israeliticam exegit Deus, sed non expertus est. Veros et genuinos dicas Abrahamidas, cuius domo sua et patria emigrantis exemplum vt typum consequuntur. Tanta eorum est multitudo, vt cum quolibet apostolicae aetatis exemplo contendere et deprehendere liceat, hic abesse fere humanum ministerium, opusque esse ipsius DEI, quod in animis piorum sui spiritus negotio perficit. Quid enim est, quod tanta hominum simplicitum turba, secus quam fert indoles illius sortis, relictiis domibus, patria, facultatibus, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus, soloribus, necessariis, affinis, lacta et velut (b) triumphans, abire, pergit, neglectis tantisque itineris tam longi incommodis, incuria prorsus; quid reliquerit, conscia, quo sit ventura qualemque fortunam expertura, nihil cogitans; pertinax propositi, vltio-

(a) Ad nos venerunt primum die VIII Iul. mille circiter & quinquaginta; deinde die XII Augusti octingenti, excepti et dapibus coelestibus, et victu corporis, prout res cuiusque tulit, ita quidem, vt cum distribui non possent, ad hospites benignos distraherentur. Noster autem indulgentissimus patriae Pater ac Dominus longè clementiss. *Friedericus Antonius*, qua est indole, liberalissime eos tractandos & pecunia donandos curauit. Quod idem contigit centum aliis, qui heri d. XVII Sept. ad nos inopinantes venerunt.

(b) Canticionibus enim sacris decantandis mirifice delectantur, adeo, vt eae, non parum ad illorum cognitionem & scientiam fidei atque officiorum, ad admirationem vsque solidam, ditulisse videantur. Nec mirum est, Pontificios iam olim Lutheri hymnos obtraxisse, dixisseque, Lutherum iis plures animas quam scriptis suis occidisse: quanquam ipsi hac in re Lutherum sunt imitati. vid. B. D. Jo. *Andr. Schmidtii* disp. de propagatione religionis per carmina. coll. B. *Goezii* de odio Pontificiorum in hymnos Lutheranae Ecclesiae disp. quemadmodum contra excell. & celeb. D. *Salem, Ernesti Cypriani* nota est disput. de propagatione haeresum per cantilenas.

ris sati secunda; si quaeras et mireris, ad Deum eiusque prouidentiam prouocans, contemnens huius vitae omnis, quae ipsa sit peregrinatio, miseriam; contenta veritatis proficiendae cultusque diuini purioris libertate recuperata, et proposita aeternae patriae spe ita elata, ut suo exilio, tantaeque viae molestiis non delectari tantum, sed gloriari videatur? Quid est, inquam, quod mentes nostrorum Salisburgensium et communi humanae et plebeiae tam reddit dissimiles? Quid tantam illis firmitatem addidit? Quid tantam consilii vim atque constantiam inspirauit? *Veritas* sane doctrinae coelestis, quae a Deo est, quaeque sui testes ab aeterno in coelis tres habet et vindices, cum quibus communem habet aeternitatem et inuictam vim atque potentiam, ita illa pectora subegit et obdurauit contra inauditos cruciatus, et superatis tandem impedimentis arduis, eripuit, ut admirabilis nobis gens quaedam videatur, sapientiae diuinae vterioribus vltibus destinata, cuius tanquam lumine, post dispulsas tenebras denuo resplendente, amplius tenebrae dissipentur, cedantque splendori lucis diuinae et aeternae, qui obduci quidem aliquamdiu et tegi, deleri autem exstinguique non potest. Iam inde enim a repurgata ministerio Lutheri ecclesia, in archiepiscopatu Salisburgensi diuini verbi intemerata et a scoriis superstitionis et fabularum vindicata veritas perpetua quiescit et sacuiffimae tempestatis vicissitudine agitata grauiffimeque sollicitata, et tantum non suppressa est. Adsertorem defensoremque sere primum, strenuum quidem factus, sed afflictum non minus ibi locorum nacla est *Paulum Speratum* (c), quem etiam Borussia fatigatum aerumnis, quas veritatis causa perpeffus est, excepit, omine quodam sati, quod illius regionis incolae Lutheranos nostro hoc seculo eodem deducit, meliora sperantes. Sed episcopus illo tempore, *Matthaeus* (d) *Langius*, qui negotio religionis ita passim interfuit, ut obfaret semper, quo fuit atroci pariter ac astuto ingenio, hostem acerbiffimum et aduerfariū se palam professus est non semel, et ita quidem, ut quam improbare veritatem atque doctrinam (e) non posset, tolerandam tamen negaret. Ab eo autem tempore quid gestum sit, vsque ad triumphum victricis veritatis, qui in nostra tempora reuerfatus est, passim editis de hac re libellis expositum proffat.

Videre autem licuit in pia illa turba, quod nouimus, aut nosse certe debemus, si *Christi* nomen inane falem proficere nolumus, quanta sit vis veritatis diuinae, et quanta patientia terminus illius elucantis sit expectandus, quo demum eo grauius vindicatur, omnemque errorem atque malitiam laetius illudir, quo durius antea pressa fuit. Interim, dum patiuntur iusti probique, diuina sapientia veluti liberationem parat, media eorumque ordinem disponit,

(c) vid. *Io. Georg. Schellborn*. Commentatio hist. eccl. de relig. euangel. in prouincia Salisburg. ortu progressu et factis, coll. historia Emigrantium, Lipsi nuper germanice edita. it. Umständliche und warhaffige Nachricht von denen Salzburgischen Emigranten in praefat. *Io. Gottlieb Hillingeri* Beytrag zur Kirchen-Historie des Erz-Bischoffthums Salzburg. it. Nachricht von dem Salzburgischen Emigrations-Geschäfte. Francof. ad Moenum, quo eodem titulo alius prodiit libellus Francof. & Lipsi. nec sperendus ille, qui inscriptus est *Salzburgisches Denckmal*, cuius auctor sub nomine Phialethae Euangelici latere voluit. Accessit nuper emissum Vinariae *Evangelisches Denckmal der göttlichen Vorsorge an denen Evangelischen Salzburgischen Emigranten & al.*

(d) Qui qualis fuerit, ex eo licet cognoscere, quod Planitius ad Electorem Saxoniae scripsit: *Si Langius Papa feret, Lutheranis oppressionem imminere, et auiorem facinarum pulcrarum. ut legitimum et iustum, permiffum iri. vid. Seckendorf de Lutheranismi lib. I. sect. 58 § CLXII.* quid? si Lutheri tom. germ. euoluas, tom. V. fol. 537, a de eo haec extant: *Kayser. Masjess. sagt: Wann die Pfaffen frenim wären, so dürfften sie keines luthers. der Bischoff zu Salzburg hat zu Mag. Philippo gesagt: Ach was wolt ihr doch an uns Pfaffen reformiren: Wir Pfaffen sind nie gut gewest. ibid. fol. 542. Campegius sagt, Er wolt sich eher jereiffen lassen, ehe er die Messe wolt lassen ändern oder abthun. Der Bischoff zu Salzburg sagt; Pfaffen sind nicht gut, man soll sie ungerreformirt lassen. conf. fol. 552 seq. quibus addi meretur illius consiliū de quatuor Lutheranos cum Pontificiis conciliandi modis adque viis fol. 561, b. Vbi paucis post idem ita loquitur: Was conscientia, was conscientia, der Kayser wird nicht leiden solche Trennung. Quae omnia si confers, pateat, truculentum et impudentissimum eum fuisse hominem, quem multorum scelorum obstrictum fuisse, aliunde constat.*

(e) tom. germ. Luth. V. fol. 558, b. *Der Cardinal zu Salzburg hat gesagt, daß Er unsse Lehre wohl möcht leiden: aber aus dem Windel sich reformiren lassen, das sey nicht zu dulden &c.* Unde etiam in testibus veritatis recensetur in *Exhib. centfol. Luth. part. 2. pag. 712.*

nit, ita, vt euentus ab ipsis impedimentis atque obstaculis eorumque remouendam difficultate fiat splendidior atque gloriosior: vt scilicet iis, qui scrutandae diuinae sapientiae animum adiecerunt suum, admirabundis laetisque exclamandum sit, *en opus DEI!* Nec male agitur cum iis, quos mors intercipit, qui liberati multis modis melius ab omni miseria purandi sunt, quam qui liberantur superstitēs: siquidem nemo omnem huius vitae acrummam superasse dici potest, nisi qui beatus ex hac vita emigravit. In qua *quicumque pie viuere uolunt in Christo Iesu, persecutiones moderate ferant necesse est.* Perit enim hoc ad mysteria regni diuini et quasi oeconomiae, vt, qui Christum ducem agnoscunt, eique nomen dederunt, quantum ille per omnem vitam sit perfectus, quantum eius apostoli et pii sanctique omni tempore omnes, quantum calamitatis & afflictionis suae ecclesiae passim Christus praedixerit, constantiaeque et patientiae officium sedulo requisierit, considerent, neque hic permanentem ciuitatem se habere arbitrentur, sed futuram inquirendam. Ex quibus amplius emergit, qualis illa religio et ecclesia habenda sit, quae, uerbi diuini normae repugnans, fabulis et inficitis nugis mendacisque plebeculae imponens, auctoritatem hominis cuiusdam, qui saepe improbus et sceleratus fuit, diuinae auctoritati anteponebat, spurcissimae idololatriae non uano nomine rea, gentium olim ritibus uanis et caeremoniis magnam partem aucta, et vindiquaque, siue placita consideres, siue mores cultusque publici rationem intuearis, rationis saltem sanae non experti prorsus abominanda aut deridenda, splendorem eternum iactat, vnam ad beatas sedes viam, si diis placet, se ostentat et clamitat, sua dogmata ad credendum amplectendumque obrudit, reculantes uero igne, ferro, caede, carcere, omnique cruciatum genere compefcere impudentissime audet. Hic scilicet est spiritus Christi, qui compluribus locis haec ecclesiae signa notauit, sed non suae. Statuamus igitur, postquam biennio abhinc vindictae per Lutherum purioris religionis memoriam celebrauimus, Deum Optimum Maximum postliminio Salisburgenses illos eduxisse, omnique orbi uoluisse ostendere, eam esse ueritatem, quae ad aeternam salutem ducit, quam ducentis abhinc annis a Luthero, ringente inuidia, et frustra ferocientibus rabidis hostibus, restitutam Salisburgenses Emigrantes e natiuo solo, per utriusque generis regiones in Borussia Lithuaniam deportant, suaeque vitae innocentia patientia, constantia in calamitatibus Aegyptiacis, et pia simplicitate ita confirmant, uti Christus requirit, ita aliquando nos iudicaturus, uti nomen eius non tantum palam sumus professi intrepidi, sed etiam uoluntatem executi. Sed quis omnia? Et quis, cogitans de hoc celebri nostri temporis negotio, non fateatur, uertatem cogitationum esse tantam, quam manus officium atque solertia uix possit consequi. Nemo itaque reprehenderit, quod per examen, quod instat, octo (+) orationes, uti consuetudo exigit, habendas, de his Emigrantibus agere uoluimus: quas qui recitabunt, tales se praestabunt, ut non prorsus audiendi studio indigni videantur. Quibus ut perill. excell. praenobiliss. magnif. summe reuer. amplissimique rerum laborumque nostrorum arbitri, alique rei literariae ac nostri causa uolentes gratiosas beneuolae aures praebent, summa obseruantia summoque studio rogamus, et, quod maius est, ita fore confidimus. Dab. e mensis d. XVIII. Sept. A. R. S. clb I b cc xxxii.

- (+) 1. *Georg. Adam. Bosenberger*, Rudolst. de dignitate memorabilis emigrat. Salisburg. praefaturus germanica oratione, ceteris oratoribus audientiam conciliatum ibit.
2. *Frid. Georg. Ludwigius*, nostras, germanice dicit de archiepiscopatu Salisburg. eiusque historia politica.
3. *Christian. Henr. Sommerus*, idem nostras, Salisburgenses germ. carmine describit.
4. *Simon Christian Knabius*, Leutenberg. oratione lat. persecutiones priorum temporum in archiepiscopatu Salisburg. quibus Euangelici sollicitari sunt, exponit.
5. *Ioan. Antonius Cramerus*, Griesheim. initia nouissimae persecutionis explicabit orat. lat.
6. *Ioan. Georg. Trinks*, Neohul. de rebus Salisburgensium, in melius conuersis, orat. germ. aget.
7. *Ioan. Michael Poebntus*, Polilmenf. ipsam eiectionem et emigrationem decantabit, carm. lat. eleg.
8. *Christoph. Henricus Heerwagen*, Koenz. de itineribus emigrantium eorumque fatis, quae passim sunt experti, aget carm. germ.

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!




Sb.

1077

R.40



AVSPICIIS DIVINIS
 SERENISSIMIQUE PRINCIPIS AC DOMINI
 D O M I N I
FRIDERICI ANTONII
 PRINCIPIS SCHWARTZBVRGI REL.



A TRIAE ET MVSAGETAE
 PTIMI LONGEQ. INDVLGENTISSIMI
N PVBLICVM BRVMALE
 IONES OCTO PER ILLVD
 et XXIII SEPTEMBR. c1o 1o cc xxxii
 ATISSIMA HVIVS TEMPORIS
 GENSIVM EVANGELICORVM
 VOCANT EMIGRATIONE
 PVBLICE RECITANDAS
 LL. PRAENOBILISS. CONSVLTISS.
 REVER. AMPLISSIMOS DOCTISS. RERVVM
 M CVRAM GERENTES, PROCERES, PATRONOS,
 NOSTROS, OMNESQ. ALIOS, NOBIS BONISQVE
 LITTERIS CVPIENTES
 CET CVLTV STUDIOQVE
 INVITAT
ES GOTTHELF ROSA
 RECTOR.

RVDOLPHOPOLI
 AERE LOEVVIANO.

1732, 18 Sept.

AV

